



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. III. Celebre S. Dionysij testimoniu[m],

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

vis ex parte ipsorum nulla sit ratio discriminis, uniusque & idem Sol omnium sit causa; quia Deus suā providentiā disponit cursum Solis, & suis legibus decernit festivitatem & sanctitatem dierum; ita ex hominibus & Angelis alius alium superat meritis, sanctitate, & beatitudine aeternā, quamvis ex parte ipsorum, nulla eos ratio seu causa discernat, sed Deus suā providentiā, & auxiliorum gratiæ dispositione, eos dividit & inaequales facit.

§. III.

Celebre S. Dionysij testimonium.

EAsdem aeternas & efficaces divinae voluntatis praedefinitiones, passim docent SS. Patres, easque varijs nominibus insigniunt. Nam D. Dionysius vocat illas: *Divinas & bonas voluntates, existentium praedeterminativas, & effectivas*. D. Athanasius & Damascenus, *divinas praedefinitiones*. D. Thomas, *praedeterminationes*. D. Augustinus, D. Gregorius, SS. Prosper, & Fulgentius, *praedeterminationes*. Dionysius Carthusianus, dicit quod *Theologia vocat illas paradigmata*. Et Marcellus illas nominat, *praescriptiones, & amedecreta*.

104. Celebris ergo locus habetur apud Dionysium cap. 7. de divin. nomin. titulo de exemplaribus: ubi, ut advertit D. Thomas ibidem lect. 1. agit contra quemdam Clementem Philosophum Platonium, qui existimabat Deum non esse causam rerum determinatricem, & productivam, secundum proprias rationes, sed solum secundum id quod est illis commune. Unde ponebat (inquit S. Doctor) quasdam causas secundas, per quas res ad proprias naturas determinantur; & has causas secundas, exemplaria rerum vocabat. At S. Dionysius ibidem demonstrat, Deum esse primam causam particularium entium, secundum quod sunt in proprijs & determinatis naturis; & omnia esse in ipso existentia, ex ipso incipientia, in ipso custodita, ad ipsum terminata, & ab illo praedefinita, & praedeterminata, exemplaribus divinis praedeterminativis, quae sunt quasi principia divinae sapientiae practicae, quia Deus omnia producit. *Exemplaria*, inquit, *esse dicimus in Deo, existentium rationes substantialificas, & singulariter praesistentes, quas Theologia praedefinitiones vocat, & divinas ac bonas voluntates, existentium praedeterminativas, & effectivas, secundum quas substantialis essentia omnia praedefinit, & produxit*. Quibus verbis expressè docet, quod sicut artifex volens domum edificare, prius eam in mente format, & omnes ejus partes determinat ac disponit, & postmodum eam producit in re. Ita Deus tanquam supremus artifex, ab aeterno praedefinit omnia & singula, quae in universo mundo erant facturus, & consequenter etiam actus liberis voluntatis nostrae. Unde D. Damascenus orat. 1. de imagin. citans hunc locum D. Dionysij, ait: *Has imagines & exemplaria, praedefinitiones appellat Sanctus ille, Dei munere, divinis in rebus considerandis & explicandis, excellentissimus Dionysius: omnia enim ab illo praefinita, & sine ulla commutatione in ejus consilio, non aliter antequam fierent, erant expressa, quam si quis velit edificare domum, prius imaginem ac formam ipsam in animo effingit, & cogitatione complectitur*.

105. Respondet Petrus à S. Joseph in Opusculo quod defensionem Divi Thoma appellat: in hoc Tom. I.

A testimonio Dionysij, solum explicari ideas omnium rerum, ab aeterno in mente divina praesistentes, nec ibidem ullam fieri mentionem de decreto praedefiniente rerum existentiam, vel futuritionem.

Sed contra: Dionysius ibi non loquitur de ideis pure speculativis, quibus res mere possibili, in divina essentia & omnipotentia, tanquam in causa representantur; sed de ideis practicis, & representantibus res ut existentes, vel futuras: At qui idea practica, & representantes res ut existentes, vel futuras, involunt propositum, seu decretum efficacis divinae voluntatis, quo res mere possibili transferuntur à statu mere possibilitatis, ad statum existentiae vel futuritionis, ut docet D. Thomas quaest. 6. de verit. art. 6. his verbis: *Idea in Deo ad ea quae sunt, vel fuerunt, vel erunt producenda, determinatur ex proposito divinae voluntatis*. Ergo Dionysius non loquitur ibi solum de divinis ideis, sed etiam de decreto, & praedefinitione divinae voluntatis.

Confirmatur: Dionysius in praefato testimonio dicit quod Theologia hujusmodi ideas & exemplaria in mente divina existentia, *Praedefinitiones vocat, & divinas ac bonas voluntates, existentium praedeterminativas*. Et S. Thomas hunc locum explicans, ait: *Hujusmodi rationes sacra Scriptura vocat praedefinitiones, & bonas voluntates, quae sunt distinctiva entium, & effectiva ipsorum; quia per hujusmodi rationes, substantialis Dei esse praedeterminavit omnia, & produxit*. Sed ideae nudè sumptae, cum non pertineant ad voluntatem, sed solum ad intellectum, non possunt appellari bonae voluntates, neque nomine praedefinitionis, & praedeterminationis insigniri, nisi considerentur ut determinatae, & applicatae ad certos effectus representandos & producendos, per decretum efficacis, & praedeterminans rerum existentiam, vel futuritionem, ut de se pater: Ergo D. Dionysius, & S. Thomas, in praefato testimonio, non loquuntur solum de ideis divinis, sed etiam de decreto praedefiniente & praedeterminante futuritionem, vel existentiam rerum.

§. IV.

Alia Sanctorum Patrum testimonia.

Praeter hoc celebre D. Dionysij testimonium, 107. plura alia ex Sanctis Patribus adduci solent à nostris Thomistis, in ejusdem veritatis confirmationem. Insignis est locus Augustini apud Prosperum sententiā 58. sic dicentis, *Divina voluntas est suprema causa omnium corporalium, spiritualiumque motionum: nihil enim fit visibiliter & sensibiliter, quod non de invisibili, & intelligibili summi Imperatoris aula, aut jubeatur, aut permittatur &c.* Et in libro Soliloquiorum, qui in appendice tomi 9. habetur, cap. 26. sic dicitur: *Priusquam me formares in utero, novisti me, & antequam exirem de vulva, quidquid tibi placuit, praedidisti de me*. Et cap. 24. *Velle quod bonum est non possum, nisi tu velis*. Et 5. de civitate Dei cap. 9. dicit, quod voluntates nostrae tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque praescivit. Et ideo quidquid valent, certissime valent, & quod facturae sunt ipse, omnino facturae sunt. Et ibidem, ad designandam summam & infinitam divinae voluntatis efficaciam, & infallibilitatem, docet eam aliquo modo fati nomine appellari posse: ait enim, *Quapropter si mihi fas*